

differentiâ specificâ, synonymo, loco, sub suis generibus. Paucas novi, sed tamen aliquas.

Silent jam omnes Botanici in Angliâ, Belgio, Germaniâ, Russiâ. Tu vitam et animam Gallis das.

Audio Italos varios Florentiis adhuc negare quod animalia caussent corallia; de hoc amplius apud me dubium non est; vidi varios lapides qui id absolute evincunt, et quod majus est omnibus, Tu Lynceus hæc propriis vidisti oculis; Lœflingius pulchre descriptis vermes in Escharæ poris habitantes.

An habeas ellas observationes circa Titanokeratophyta Boerhaavi;* s. rete et flagellum Veneris dictum; et quo modo hoc conficiatur; Crustam tartaream a vermis oriri facile intelligo; et dicas mihi quo modo substantia cornea?

D. Buffoni opera posteriora expecto avide; ille incipit a cane et equo in naturali methodo. Hoc experimentum sufficit. Vellem modo videre practicum, vidi theoreticum.

Devota mea officia dicas D. Patri Lasserre; ille optime servavit oleum, cuius lucerna adhuc lucet proprio oleo. Salutes quæso itidem suavissimam dulcissimamque sponsam D^m Bassaport; illa nondum mihi dedit fætum, tamdiu promissum, neque ingenii, neque manus; si posset mihi pingere parvum B. Jussieu in quarto, quem possem Botanicis meis interserere in Musei pariete, mihi daret filium gratissimum.

Scriberem ego saepius, ni metuerem quod meæ litteræ tibi impensas faccarent. Tu poteris, ut audio, ad me scribere absque impensis; quæso millies facias hoc saepius; nullius mortalis literæ mihi gratiore, instructivæ magis nullæ, et si scribas sub involucre ad Societ. Scient. Upsaliæ, habebo omnes literas gratis; posses tunc interserere plantulam exsiccatam saepius. Si tu posses dicere mihi rationem, quâ ego mitterem absque tuis impensis ego idem facerem saepius. Non possum oblivisci frustuli illius quod olim misisti et nuper dixisti fuisse Phytolaccam; sed quænam quæso; et quo modo possint tam diversæ conjungi in unum genus?

Quid jam D. Reaumur? quid D. Guettardus?

Studiosus quidam,† informator filii mei, qui olim detexit insectum quod plodit ano et alterum quod cribrat pollinem antherarum, nunc exclusit istud insectum, quod apud nos caussat spicas albas effectas copiosissimas in agris secalinis; evadit Phalæna; unius ejusmodi vermis intrat sæpe plurimos culmos et infinitam noxam adfert colonis.

* *Gorgonia* species Linnæo ipso auctore, sub nomine genericō *Plexaura* distinxit cl. Lamouroux.

† Daniel ROLANDER, qui in illo præceptoris munere Lœflingio peregrinanti successerat. — Variæ de insectis quas hic Linnæus memorat observationes de Carabo crepitante, Vespa cribrariâ, Phalænâ pycali, cum aliis relatæ in *Vetensk. Acad. Handling.* nec non *Analect. transalp.*